



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

Capvt LVIII. Quanta monstrorum causa diabolus se transfigurans, vt
probet, terreat, puniat, & suam deformitatem detogat?

urn:nbn:de:hbz:466:1-45686

Quid. lib. 2.
Metam.

*Brachia ceperant nigris horrescere villis,
Curuariq; manus, & aduncos crescere in unguis,
Officiq; pedum fungi, laudatq; quondam
Ora viris, lato fieri deformia rictu.
vox iracunda minaxq;*

Plenaq; terroris rauco de gutture fertur.

Hoc prodigio perterrefactus rusticus horrendum in modum, cepit vociferari, magnisque clamoribus dicere, ad eos, qui pro foribus stabant: *Aperite, queso, carceres, aperite, vrsam, non coniugem mihi dedistis.* Accurritur, referantur fores, exiit infelix nuptus, virgo pristino schemate humanaq; facie astat, & gaudet se vrsam potius egisse, quam lupam; quæ dimissa è turri, postea sine interpellatione Deo seruire permessa est. Fratrem itaque iuuenem, & multas alias virgines ad idem virginittatis consilium attraxit, docuitque in paupertate & castitate superis parem vitam agitare. Et quia audierat, gratius esse Deo, si virginittatem voto stabiliret, quinquagenaria demum, votum castitatis, coronidis loco, anteaçta in tot meritis vitæ adiecit. I nunc, & dic monstra in mundo non esse debere, quæ diuinæ providentiæ sapientiam bonitatemque tantopere commendant. Quamuis enim ordinem naturæ mutare videntur, tamen Numinis ordinem non inuertunt. Rectèigitur.

S. Augustin.
lib. Medit.
cap. 29.

D. Augustinus Deum ita laudat: *Qui omnem creaturam tuam absque indigentia aliqua possides, & sine labore gubernas, & absque radio regis, & nihil est, quod perturbet ordinem imperij sui, vel in summis, vel in imis.*

CAPVT LVIII.

Quarta monstrorum causa diabolus se transfigurans, ut probet, terreat, puniat, & suam deformitatem desegat.

Lussam dixi, ob quam Deus benignissimè voluerit virginem, instar vrsæ apparere: hac enim forma perterritus est lupus, qui cui insidiabatur. Quo pacto autem, in vrsæ specie virgo fuerit tecta, non puto esse disputandum, Sunt enim Deo multi modi, quibus id fieri potuit. Bene fecit,

fecit, quocunque demum fecit modo; dum texit, protexit. Malus dæmon, simia Dei, producit & ipse monstra, Deo vel iubente, vel permittente; sed longè alio fine. Id enim Deus facit, ut potentiam suam ostendat, ut prodigijs sua & sacramentorum vis innotescat; ut succurrat sanctis; ut virtutes defendat; ut moneat; ut emendet; ut clementer puniendo sanet; ad quas res etiam dæmones, tanquam iræ suæ instrumenta, adhibet; immò etiam ob utilitatem proborum, quorum per dæmones virtutem exercet. Ab alio fine monitrificus est Orcus. Nam nefarius Spiritus idem cum facit, vel terrere vult, vel torquere, vel prodere, vel fallere, vel, quod non inuitus facit, punire & perdere: Quas ob causas plurima sanè Acherontica monstra legimus, iustissimo numinis iudicio, nequissimo dæmonis consilio, hominibus sæpè apparuisse, vel certè alia prodigia Stygijs artibus procurata. Modi sunt varij, quibus hic se Proteus sistit contuendum; quibusque vera, vel ficta monstra oculis fascinatorum, aut non fascinatorum objicit. Siquidem & ipse ut formidabile monstrum se representat; & eos quos in possessionem accepit, monstris similes reddit; & denique in veris vel apparentibus monstris variorum animalium fabricandis laborat. Quæ tria genera ordine percurremus, ut videas non jam Ianum geminum, seu Quirinum, seu Consivium, seu Iunonium, seu Curiatium dicere posse:

Nomina ridebis, modo namq; Patulcius idem,

Et modo pacifico Clusius ore vocor:

sed multò magis talem nominum & formarum varietatem Auernalibus polypis conuenire.

In primis, igitur quia ipse Spiritus, tanquam abortiuus, è celo cecidit, atque ex Genio pulcherrimo, in deformem admodum draconem est mutatus; de iusto peccator, de capace beatitudinis damnatus, ex angelo diabolus; idcirco ut vel hinc homines vitia abominentur, cogitur plerumque talis apparere, qualis est, hoc est, monstrosus; tametsi subinde etiam se in Angelum lucis sinatur transfigurare. Hinc varios horribilesque prodigiosarum belluarum vultus induit, ut olim Iobum tentaret; ut alios vel in vrbe, vel in solitudine commorantes diuexa-

II.

Petr. Binsfeld. in tract. de Confessione. nib. maledicor. prælud. 12. Vide Cæli Rhodig. l. 16. Lect. antiq. cap. 5. Matth. 4.

- diuexaret. Et quanquam nescitur, quo schemate Christum sic allocutus, facile tamen cogitatur fuisse tale, ex quo bestia illa nosceretur. Quin etiam, quando formam humanam mentionitur maligni Spiritus, plerumque alijs sunt proceriores, vel exiliores, vel etiam nani, gibbosi, naso longo & digno Dunstani forcipe, pedibus caprinis, dentibus aprinis; capite cornuto, vngula fissa, Æthiopico vultu. Ita notus ille Chrysolus, ad extremum veniens, eadem hora, qua iam de corpore erat exiturus, apertis oculis vidit, teterrimos viros, & nigerimos Spiritus coram se absterere, & vehementer imminere, ut ad inferni claustra eum raperent. Ille superbix, ille auaritiæ, ille luxuriæ finis erat, quem luculentè describit D. Gregorius, inducijs carentem. Ita quinquennis ille blasphemulus malignos ad se venisse Spiritus tremantibus oculis puer aspiciens, cepit clamare: obsta pater, obsta. Qui clamans declinauit faciem, ut se ab eis, in sinu patris absconderet. Quem cum ille tremens requireret, quid videret? Puer adiunxit, dicens: Mauri homines venerunt, qui me tollere volunt. Instissimè. quamuis enim tu filius fueris albæ gallinæ, oratio tamen tua & virulenta lingua Genios non meruit candidiores.
- Atra quoque Æthiopis imagine visus est alastor Brunoni Episcopo Herbipolensi, sedens in saxo Danubij, non procul à Grænone, ibi, vbi vorticosum barathrum aquam contorquet, navesque hiatu maximo haurit atque absorbet, nisi remis pro viribus incumbatur. Quod contigit, eum Episcopus Cæsarem comitaretur, secundo Danubio in Austriam descendentem. Fugauit hoc monstrum, & insidias eius, signo crucis sacer Antistes, quod utique Cæsari malum struebat inter vortices, quibus intorta nauis obliqua ageretur, & pessum iret. Sed vicit Æthiopem candor Episcopi ostendens quàm utile sit pios habere in comitatu. Anno Christi 1578. celebris illa saga Ioanna Haruillera confessa est magistratui, se diabolo (qui specie humanis atri apparebat staturam humanam excedentis, atrisq; vestibus induti) inde à duodecimo sua ætatis anno fuisse oblatam à matre. Cur atro diabolo? ut vel inde cognosceret puella, se malo domino tradi, & idcirco reslirét. Nota est memorabilis illa Athenodori Philosophi historia, cui vigilanti consimile visum obuenit

S. Greg. lib. 4.
dial. cap. 38.

S. Gregor. l. 4.
dial. c. 18.

Auentin. l. 5.
Annal. Boio-
rum.

Ioan. Bodin.
Præf. in Dz-
monoman.

Plin. lib. 7.
epist. 27.

obuenit infesti idoli obambulantis humana macilenta specie, procera, squalida, catenis vincta, quod in aedibus propter allatas à maligno spiritu molestias, jam diu desertis, indicauit locum, vbi inuenta sunt ossa infesta catenis & implicita, quæ corpus æuo terraque putrefactum nuda & exesa reliquerat, vinculis. Sed de hac vmbra dubitari potest, animane fuerit, an Genius malus. Valerium Maximum audiamus. *Apud Aetium, inquit, M. Antonij fractis opibus, Cassius Parmensis, qui partem eius secutus fuerat, Athenas confugit: vbi concubina nocte, cum solitudinibus & curis mente sopita in lectulo iaceret, existimauit ad se venire hominem ingentis magnitudinis, coloris nigri, squalidum barba, & capillo demisso: interrogatumque, quisnam esset, respondisse xaxo d' ai noua. Perterritus deinde tam terro visu, & nomine horrendo, seruos inclamauit, sciscitatumque est, si quidem talis habitus, aut intrantem cubiculum, aut exeuntem vidissent? Quibus affirmantibus, neminem illuc accessisse, iterum quieti, & somno se dedit: atque eadem animo eius obuersata est species. Itaque fugato somno, lumen introferri iussit, puerosque à se discedere vetuit. Inter hanc noctem & supplicium capitis, quo eum Caesar affecit, paululum admodum temporis intercessit. Aduertit Thyraeus terriculamenta eiuscemodi nocturna mortes hominum portendere. Hæc nigra orci monstra pleraque sceleratis missa, terrorem iniecerunt, vt exitium suum vel cauerent, vel ad aliorum exemplum in hac vita inciperent; quod sanè Alastores isti subiinde, ingratijs suis ac vel inuiti, facere coguntur.*

Sed ad Christianos redeamus Tartareis monstris, patientiæ causa, vexatos. Refert Ioannes Diaconus, Spiritum quendam habitationem suam habuisse, post absidem oratorij, vbi S. Gregorius Deo laudes consueuerat celebrare; eundemque, intempestiuo sæpius incurfu S. virum orationi intentum tumultuosissimè perturbasse: equos ex stabulo eduxisse: duos ex ipsis præcipites egisse: viros religiosos eiusdem cum B. Gregorio professionis; nunc in forma cati vnguibus tentasse lacera- re, nunc sub specie Æthiopsis lanceam petiuisse. Adeo infestus est Deo per preces supplicantibus, vt varias artes excogitet, quibus orationes sacras interrumpat. Præsertim autem ijs, qui

L I I I I

à turba

Valer. Max
l. 1. c. 7. n. 7.

Pet. Thyraeus
de locis infe-
stis. p. 1. c. 6.

III.
Io. Diacon.
in vita S. Gre-
gorij l. 4. c. 39.

S. Gregor. l. 2.
dialog. c. 4.

Sur. 17. Ian.

à turba secedunt, ut secum habitare & cum conscientia sua aut cum Deo soli agere possint, Christum in solitudinem sequentes. E qua etiam eos extrahere amat, sicut extraxit illum, quem, D. Gregorio teste, D. Benedictus vidit extrahi. Nam cum vir Dei venisset ad monasterium, & constituta hora expleta Psalmodia se se fratres in orationem dedissent, aspexit, quod monachum qui in oratione manere non potuit, quidam niger puerulus per vestimenti simbriam foras traheret, extra oratorium scilicet. In S. Antonij vita legitur, post varias & atroces pugnas, tandem teterrimum draconem in atrum se vertisse Æthiopem. Cum enim videret se semper ab eius cogitationibus repelli, secundum quod scriptum est, stridens dentibus & ululans, qualis est merito, talis apparebat & vultus: puer horridus atque niger, ad eius se genua pronuens, humana voce flebat dicens: Multos seduxi, plurimos decepi; nunc autem, ut à ceteris sanctis, ita & à tuo sum labore superatus. Falsus est autem se esse spiritum fornicationis. Hoc victo atrocissimè à Tartareis laruis verberatus, cum stare pedibus non posset, humi prostratus dicebat: Ecce ego hinc sum Antonius: non fugio vestra certamina, etiamsi maiora faciatis. nullus me separabit à charitate Christi. Psallebat quæ dicens: Si consistant aduersus me castra, non timebit cor meum. Talia eo dicente, bonorum hostis diabolus admiratus, quod post tot verbera fuisset ausus reuerti, congregatis canibus suis, & proprio furore se lanians: Videris, ait, quod nec spiritu fornicationis, nec corporis doloribus superatus, insuper audacter lacestis nos. Omnia arma corripite, acrius nobis impugnandus est. Sentiatis, sentiatis: debet scire, quos prouocet, &c. Sonitus iritur repentinus increpsit, ita ut loco funditus agitato, & parietibus patefactis, multifaria demonum exinde turba se effunderet. Nam & bestiarum, & serpentium formas induentes omnem protinus locum replerent phantasijs leonum, taurorum, luporum, aspidum, serpentium, scorpionum, nec non & pardorum atque urforum. Et hac singula secundum suam fremebant naturam. Rugiebat leo occidere volens: taurus mugitu & cornibus minabatur: serpens sibilu perfonabat: luporum impetus inhiabat; pardus discolor à tergo, auctoritas sui calliditates varias indicabat. Truces omnium vultus, & vocis horrida dirus auditus. Antonius flagellatus atque confossus sentiebat quidem

quidem asperiores corporis dolores, sed imperterritus durabat mente perugili. Et licet gemitum vulnera carnis exprimerent, sensu tamen idem permanens, quasi de inimicis luderet, loquebatur. Si virum aliquid haberetis, sufficeret vnus ad praelium: sed quoniam Domino vos eneruante, frangimini, multitudine tentatis inferre terrorem: cum hoc ipsum infirmitatis indicium sit, quod irrationabilium induitis formas bestiarum. Rursumque confidens aiebat: Si quid valeatis, si vobis mei potestatem Dominus dedis, ecce presto sum; deuotate concessum: Si verò non potestis, cur frustra nitimini? Signum enim crucis, & fides ad Dominum, inexpugnabilis nobis murus est. Certant pictores de his monstris inferni penecillo exprimendis. Videtur enim Stygius archipirata omnes copias totamque classem suam, contra vnum hunc Christi heroem conuocasse. Sed nihil effecit, sciuit enim Antonius, se contra laruas pugnare, tantoque fuit clarior eius victoria, quanto plures diuersioresque hostes superauit.

Has autem laruas, fumum, fucum, pigmentum, hanc caliginem & fuliginem, quam Acherons omnem, velut in confluxum collectam, opposuit Antonio, aliàs etiam saepe seorsim induxit in theatrum. Meminit infestae à Tartaro domus in vita Theodori Sicæorum Archimandritæ, Georgius presbyter, Theodori discipulus, in qua & hominibus, & iumentis plurimum molestiarum afferebant cacodæmones. In illa cum domesticum pranderent, aut cœnarent, lapides in mensas à Spiritibus iaciebantur, & telæ mulierum rumpebantur. Tanta quoque murium & serpentum multitudo domum occupabat; vt præ formidine nemo ingredi auderet. Antiquum hoc est, nam & cum Eua in serpentis exuijs, rem suam magnam voluit confabulari. Quin & Gertrudi vt præstigias officiasque faceret, in murem se contraxit; ille utique Angelus, qui olim vertice caelum tangebatur, qui dicebat in corde suo: *Ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo*; ecce ille Angelus, cuius operimentum fuerat omnis lapis pretiosus, nunc pugnaturus procedit, qua galea, qua lorica indutus? musculi eorior. Nonne hoc est grande monstrum, quod à pulchritudine Angeli, in formam musculi degenerauit? Tanti est tentare, oppugnare,

IV.

Isa. 14. 14.

Io. Diacon. in
vita S. Greg.
lib. 4. c. 93.

pugnare, vexare hominem Numini seruientem. Ostensum est autem huc vsq; malum Angelum vel in mure, vel in Æthiopia atrū apparere, vt memores illius: *Hic niger est, hunc tu, Romane, caueo*, cum fugiamus. Aliquando tamē assurgit, seq; ostentat grandiozem. Fundum Barbilianū, ob flagitiosam incolarū vitam, assidue vehementerq; infestans, in forma ferocientis tauri, nunc oues infestabatur & fatigabat, nunc gregum atq; armentorum custodibus graues molestias afferebat, adeo, vt etiam quidam ipsorum, ob eas intemperies Furiasq; solū mutare coacti sint. Huic tauro alio lanione opus non fuit, quam qui sacris armis vteretur. Adfuit igitur S. Gregorius, qui *Litaniarū & aqua lustralis* præsidio eū profligauit. Misera bestia, sis magna licet, magnum tamen inuenisti antagonistam, cum Gregorium inuenisti. Meruerant quidem fundi incolæ, non iam æripides Martis boues, quibus ararent, sed igniuomum talem Plutonis taurum; at præualuit sanctissimi Pontificis virtus sacris armis contra profanissimum spiritum ventis; vt & nos disceremus modum Auerni monstra fugandi. Piè ergo & sapienter agunt, qui nō solūm Litanijs Diuos inuocant, in fundorum & domorum suarum custodiam, sed etiam aquam lustralem & hominum cubiculis, & iumentorum stabulis vbiq; appendunt; asperguntq;, cuius affusionem non potest pati spiritus ille, qui ad ignes est damnatus, authoratusque. Quid ni autem Vertumnus iste de tauro in equum, aut centaurum; & rursus de gigante in pygmæum mutetur? Ingrediamur in fodinas metallicas: An non ibi Spiritus Annebergicus operarios duodecim viros vno flatu interfecit? Contigit id in specu, qui *Corona Rosæica* appellatur, estq; argenti diues. Apparuit autem tunc specie equi habentis procerum collum, & truce oculos, ac velut adhinniens, ex immani rictu flatum emisit infernali sulphure venenatum. Nimirum vt non sine cupiditate, ita neque sine discrimine effodiuntur opes, quas natura in viscera terræ abstruxit. Hinc alter Schnebergicus spiritus, nigro cucullo vestitus, qui in fodina Georgiana, operarium è solo sublatus, in superiore loco maximæ illius concauitatis, quondam feracis argenti, non sine inclementi corporis accri-

Munckerus
lib. 1. Cosmo-
graph. c. 15.
ex Georgio
Agricola,

eu col-

su collocavit. In multis alijs fodinis auri, visuntur tripalmares masculi versicoloribus tunicis vestiti, qui velut Gryphes id metallum custodiunt; neque rarò de vicinia audiuntur tanquã malleatores rumpem exundentes. Ita neque vllarum pecudum, neque vllorum homulorum forma tam est vilis, in quam gigantes isti non intrent; in muscas, in fornicas; in omnes figuras.

Quia enim admodum rarum est damnatorum animas, vel ad breue tempus, ex Orco emitti, dæmones earum vice funguntur, in hominibus diuexandis, camq; in rem varios vultus mentiuntur. Quod credibile est Athenis Athenodoro cõtigisse de quo memoravi. Clariùs tamen euenit Corinthi in domo Eubatidæ, vt memorat ipse Pythagoricus Arignotus. Inhabitable illa erat domus, propter terricula. Quod si quis inhabitasset, expaus factus subito fugiebat. Deciderat ergo iam, tellusq; rumpebatur. Nullus erat, qui ingredi auderet. Arignotus hac audiens, incantationibus & carminibus armatus, domum ingreditur, Umbram, si appareat, domo exacturus. Dum tacitus in vastissimo atrio sedens, ad lumen legit, adest demon squalidus, hirsutus, & tenebris nigrior: tentatq; si qua ratione terreat, & expugnet: & nunc in canem, nunc in taurum, nunc in leonem se vertit. Nihil his omnibus commouetur Arignotus; sed assumto carmine, in quendam domicily tenebrosum angulum, Spiritum cõpulsit, vbi mox ille disparuit. Manè sumtis lignibus insit effodi locum, vbi Spiritum se condentem noctu obseruarat. Inuenitur cadauer hominis defuncti, quod exhumatum, vbi sepultura fuit traditum, omnis infestatio domum reliquit. Vides varias figuras dæmonis potestatem habentis ibi, vbi cadauera sunt suorum? Quanquam etiam in pœnam eorum, id permittere diuina Nemesis potuit, qui fortasse inibi locorum innocentem occiderunt; ac ne facinus erumperet, in eadem domo clam sepeliuerunt. Vides dæmonem canem? vides taurum? vides eum, qui circuit tanquam leo rugiens quærens quem deuoret?

Vis etiam videre draconem? Audiit eum saltem allegoricè describi Iob, quem expertus est verberantem. Ecce Behe-

moth, quem fecit tecum, fannus quasi bos comedet: fortitudo eius

LIII 3

ialum.

V.

Apud Lucian.
in Philopseu-
dc.

VI.

Iob. 40. 4th

Iob. 41. 4.

in lumbis eius, & virtus illius in umbilico ventris eius. Stringit caudam suam, quasi cedrum, nervi testiculorum eius perplexi sunt. Ossa eius velut fistula axis, cartilago illius, quasi lamina ferrea. Quis reuelabit faciem indumenti eius? & in medium oris eius quis intrabit? Portas vultus eius quis aperies? per gyrum dentium eius formido. Corpus illius quasi scuta fusilia, compactum squamis se premuntibus. Vna uni coniungitur, & ne spiraculum quidem incedit per eas. Vna alteri adhærebit, & tenentes se nequaquam separabuntur. Strenuatio eius splendor ignis, & oculi eius ut palpebra diluculi. De ore eius lampades procedunt, sicut tada ignis accensa. De naribus eius procedit fumus, sicut olla succensa atque feruentis. Halitus eius prunas ardere facit, & flamma de ore eius egreditur &c. Eundem alius delineans ait: Ecce draco magnus, rufus, habens capita septem, & cornua decem: & in capitibus eius diademata septem: & cauda eius trahebat tertiam partem stellarum cali: Vnde merito dictum est, apud Iob: Stringit caudam suam, quasi cedrum.

Apoc. 12. 3.

Pallad. in
hiff. Lausiac.
sect. 15.S. Greg. lib. 4.
dial. c. 37.

Quippe ni? cum ille dæmon, quem S. Antonij imperio expulit ab adolescente S. Paulus Simplex, mutatus fit in maximum draconem circiter septuaginta cubitorum, recedens in mare rubrum. Alius Theodorus nomine puer fuit, ait D. Gregorius, qui in monasterium meum, fratrem suum necessitate magis; quam voluntate secutus est. Cui nimirum graue erat, si quis de salute sua aliquid loqueretur. Bona enim non solum facere, sed etiam audire non poterat; nunquam se ad Sancta Conuersationis habitum venire irando, irascendo, desidendo testabatur. In hac autem pestilentia, qua nuper huius urbis populum magna ex parte consumpsit, percussus in inguine est perductus ad mortem. Cumq; extremum spiritum ageret, conuenerunt fratres, ut egressum illius orando protegerent. Iam corpus eius ab extremâ parte fuerat pramortuum; in solo tantum pectore vitalis adhuc calor anhelabat. Cuncti autem fratres cœperunt tantò pro eo enixius orare, quantò eum iam videbant sub celeritate discedere. Tunc repente cœpit eisdem fratribus assistentibus clamare, atque cum magnis vocibus orationes eorum interrumpere, dicens: recedite, recedite. Ecce Draconi ad deuorandum datus sum, qui propter uestram presentiam deuorare me non potest. Caput meum iam suo ore absorbit, date locum, ut non me amplius cruciet.

cruciet, sed faciat, quod facturus est. Si ei ad deuorandum datus sum, quare propter vos moras patior? Tunc fratres exasperunt ei dicere: quid est, quod loqueris frater? Signum tibi S. Crucis impone. Respondet ille dicens: Volo me signare, sed non possum: quia squamis huius draconis premor. Cumq; hoc fratres audirent, profirati in terram cum lachrymis cœperunt pro ereptione illius vehementius orare. Et ecce subito cœpit eger clamare dicens: Gratias Deo. Draco qui me deuorandum acceperat, fugit, orationibus vestris expulsus stare non potuit. Pro peccatis meis modo intercedite, quia conuerti paratus sum, & sacularem vitam funditus relinquere. Homo ergo, qui, sicut iam dictum est, ab extrema corporis parte fuerat premortuus, reseruatus ad vitam toto corde ad Deum conuersus est. Hæc D. Gregorius, qui mox sequenti capite aliud terribilius exemplum subiungit his veris: Est etiam nunc apud nos Athanasius ex Isauria presbyter, qui in diebus suis Iconij, rem terribilem narrat euenisse. Ibi namque, ut ait, quoddam monasterium Thongolatom dicitur, in quo quidam monachus magnæ estimationis habebatur. Bonis quippe cernebatur moribus, atque in omni actione sua compositus, sed sicut ex fine res patuit, longè aliter, quàm apparebat, fuit. Nam eum ieiunare se cum fratribus demonstraret, occultè manducare consueuerat. Quod eius vitium fratres omnino nesciebant. Sed corporis superueniente molestia, ad vitam extremam perductus est. Qui cum esset in fine, fratres ad se omnes, qui monasterio inerant, congregari fecit. At illi tali, ut putabant, viro moriente, magnum quid ac delectabile se ab eo audire crediderant. Quibus ipse afflictus & tremens compulsus est prodere, cui hosti traditus cogebatur exire. Nam dixit: Quando me vobiscum credebatis ieiunare, occultè comedebam, & ecce nunc ad deuorandum draconi traditus sum, qui cauda sua mea genua pedesq; colligauit: caput vero suum intra os meum mittens, spiritum meum ebibens extrahit. Quibus dictis statim defunctus est, atq; ut pœnitendo se liberare potuisset, a dracone quem viderat, expectatus non est. Plura de codæmonum forma & deformitate qui legere vult, librum meum de ruina Luciferi adeat, vbi hoc argumentum fusè tractaui.

Idem c. 38.
eiusd. lib.

Parænes. de
ruinaLucif. à
cap. xi. xii.
&c.

Ex historijs huc vsque recensitis satis constat, diabolum ipsum

VII.

Gen. 3.
Matth. 4.

S. Damascen.
lib. 2. de fide
cap. 4.

S. Thom. 2. 2.
q. 171. a. 5. ad
2. & q. 173. a.
2. 3. & q. 174.
a. 2. ex S. Aug.
lib. 9. Genes.
ad lit. c. 19

S. Thom. 1. p.
q. 51. a. 2.

ipsum specie monstrosa & corporali apparere, sicut Eux apparuit, in figura serpentis; quamvis non constat, qua figura fuerit, quando cum lapidibus ad Christum, in deserto, accessit tentator. Teste etiam S. Damasceno, *Mali angeli potestate à Deo concessa, & viribus pollent, & immutantur, & in quamlibet formam (ut quidem apparent) migrant.* Scire igitur aliquis vollet: Quo pacto ita possint apparere? Aio duobus modis id fieri posse, primò per ludificationem sensuum, ita ut nonnulla, quæ de illis narrantur, in visione phantastica duntaxat atque imaginariâ contingant; adeoq; solâ apparentiâ, præstigijs & illusionè. Eiuscemodi illusiones facillè fieri possunt per motum localem. Negari certè nequit, ipsos quoque bonos Angelos sæpe solùm secundùm internâ imaginationem hominibus loqui & apparere. Quemadmodum & multæ Angelorum visiones, in Apocalypsi narratæ, solùm interiùs in phantasia factæ videntur; neque rarò sagæ à dæmonibus illuduntur, cum ad varia se se loca vehi existimant domi dormientes. Secundò tamen non omnes eiuscemodi apparitiones dæmonum sunt imaginariæ duntaxat, sed sæpe assumunt vera, atque interiùs sensibilia corpora, ita ut ab omnibus videri queant, aut audiri, aut tangi. Quæ corpora non sunt illis spiritibus naturaliter, ac substantialiter vnita. Neque enim Angeli sunt corporei, aut formæ ex natura sua ad corpora substantialiter informanda idoneæ. Assumunt tamen corpora non per solum motum localem, alioqui omnia corpora quæ loco mouent, ut cælum, & homines, v. g. Habacuc per aërem portatum, dicerentur assumpsisse. Ut ergo in assumtis corporibus possint verè apparere, necesse est illa corpora esse visibilia, & tangibilia, & ad eò ut habeant colorem, duritiem, frigus, calorem, aliasque qualitates, per quas possint tangi, videri, vel alio modo sentiri. Quod fit, dum agentia & passiva artificioso modo applicantur, figuram formantia, in qua se volunt præsentare. Vbi eadem est bonorum & malorum Angelorum ratio. Quis dicat, Euam à serpente illusionè tantùm phantasiæ aut oculorum ita deceptam esse, quemadmodum in somnijs, aut præstigijs fieri solet? Quis neget, dæmonem ad Christum visibiler

liter accessisse? Quis credat Gabrielem ad Dei matrem, alios Angelos ad Magdalenam in die Resurrectionis, vel ad Apostolos in Ascensione Christi, per phantasmam tantum locutos? Fuit ergo id, per quod daemones Eux, aut Christo, & boni Angeli Mariae utriusque, ac Apostolis apparuerunt, aliquid externum, & aptum ad sensus eorum externos naturaliter immutandos. In hanc sententiam scribit S. Augustinus: *apparuisse hominibus Angelos in talibus corporibus, ut non solum videri, verum etiam tangi possent, verissima scriptura testatur.* S. Isidorus etiam modum explicans ait: *Angeli corpora, in quibus hominibus apparent, de supremo aere sumunt, solidamque speciem ex caelesti elemento induunt, per quam humanis obtutibus manifestius deteguntur.*

S. Augustin.
lib. 15. de ci-
uit. cap. 23.
S. Isidor. lib. 5.
de summo
bono c. 10.

Indicium autem valde probabile, ad imaginariam & externam apparitionem discernendam à S. Thoma illud est traditum, quod ea, quae solum per imaginariam apparitionem, aut per illusionem sensuum fiunt, tantum quoque appareant illi homini, qui specialiter illuditur, non tamen communiter ab omnibus videantur: externam autem apparitionem alij etiam indifferenter intueantur. Quod indicium ita verum est, ut tamen non sit necessarium. Potest enim interdum Spiritus exterius alicui visibiliter se obijcere, ut oculis conspiciatur ab ipso solo, alijs circumstantibus nihil videntibus. Quo pacto viri illi, qui comitabantur Paulum, stabant stupefacti audientes quidem vocem Christi, neminem autem videntes. Et Daniel, *Leuani*, inquit, *oculos meos & vidi*, ubi subiungit, *vidi autem ego Daniel solus visionem, porro viri, qui erant mecum, non viderunt.* In quae verba Pererius monet, in potestate Angelorum esse, cum in assumptis corporibus apparent, sui aspectum, quibus volunt, vel exhibere, vel denegare. Qua autem id virtute, faciunt? SS. Angelos ait Suarez, id facere posse virtute diuina, *quia forte in assumptis corporibus participant hanc proprietatem corporis gloriosi: nam istud per voluntatem anima potest se manifestare, cernendumque praebere uni, & non alijs, etiamsi sint aequè propinqui, & nullum obstaculum interponatur, sicut in exemplo de vocatione Pauli Christus Dominus fecit, praesentiam suam Paulo concedendo, & eius socijs eandem subtrahendo.* Atqui hoc facere constat & malos Spiritus,

VIII.

Act. 9. 7.
Dan. 10.

Franc. Suar.
lib. 4. c. 33. de
Angelis.

M m m m qui

qui in acie astant vni à quo videntur, & non ab alijs etiam presentibus millibus. Quin ipsas quoque sagas ac magos invisibiles reddunt, cum volunt. Quod utique non faciunt virtute diuina. Qua ratione igitur? Nimirum immutando mediū, & ponendo obstaculū impressioni specierum visibilium, quod potest Spiritus tanta celeritate facere; vt non impediat transitum specierum ad oculos eius, cui apparere vult; impediat vero transitum ad aliorum oculos, vt post Richardum docet, modò laudatus Pater.

Richard. in 2.
diff. 8. a. 2. q. 3.

IX.

Quin quoque ipse dæmon etsi videatur ab eo, quo cum agit, potest tamen, quædam latentis monstri indicia ad tempus subducere, quæ postea cogitur detegere, diuina providentia, in cautelam hominis, ita disponente. *Autor est Thomas Monachus, homo minimè malus, cuius ego fidem probitatemq; pluribus in rebus expertus didici, inquit Alexander ab Alexandro, qui serò mihi retulit, quòd cum in monasterio & sacris adibus, qua in Lucanis montibus sunt, cum pluribus iurgatus foret, & post immediæ ea conuicia & rixas, animo perturbato, inde se proriperet: cum per nemora iter solus intenderet, speciem hominis vultu terro, nigra barba, promissis tunicis, vultu adspèctusq; deformi & sauo, obuiam habuisse: quem cum compellaret, quid ille solus per deuia errabundus incederet, dixit equam, quo vectabatur, amississe, atq; in proximos campos illum euasisse credere: cumq; per sinus inuios equum unà questum pergeret, ad profluentem, in cuius alueo gurgites magni & formidabiles redundabant, deuenisse. Et cum Monachus, vt aquam traiceret, calceos sibi eximere appararet, illum magnopere coegisse, & peruicisse tandem, vt super spatulas suas ascenderet, potiusq; a se, qui corpore maior erat, vectaretur: qui acquiescens cum super illius spatulas, vt succollaretur monachus ascenderet, illeq; in aquam ingredi appararet, dum vada exquirat, illius pedes non humana, sed terræ & deformi specie conspexit. Quo animaduerso, terribili horrore percitus Deum, vt sibi præslo esset, acclamauit. Mox Dæmonem & diram illam speciem, diuino audito verbo, stridore querulo, & vi maxima, quam a dici potest, ita è conspèctu abijisse dicit, vt imminentem queroum ingenti impetu colliserit, ac per fractis ramis funditus euerterit, ipseq; consternatus atque exanimis diu iacuerit. Credo*

Alexand. ab
Alexand. l. 4.
Genial. dier.
cap. 19.

bat enim, quòd à vero non abhorret, nisi prauidisset, illum in rapidissimos vortices, & voragine fluminis præaltas se fuisse necaturum. Quis neget hunc dæmonem corpus assumisse? Sed pedes occultuit longioribus tunicis; quas aquam ingressurus attollere, est coactus, vt bestia infernalis è vestigio suo cognosceretur. Vtinam & alij eundem spiritum omnis mali machinatorem, agnoscerent, cui sese in stagnum ignis ardentis deportandos tradiderunt. Quàm illi altè exclamarent, quàm citò ab eius humeris resilirent, neque se deferri ad Stygios vortices permitterent? Ad hoc Deus hos malos genios plerunque non finit corpora assumere, nisi monstrositate notata, vt, sicut Iudæi ex assuta plagula, noscantur, & horreantur.

Si igitur vera quoque corpora, assumunt Spiritus, qualia nam sunt corpora illa? verorumné Æthiopum, draconum, leonum? Responderet D. Augustinus, spiritum posse assumere corpus verum animalis præexistentis, vel etiam de nouo formare corpus, vt illud assumat. Potuit igitur seductor in specie serpentis cum Eua confabulatus vel esse spectrum serpentis, vel verum animal; vti & quando in larua incedit aliarum bestiarum. Et deprehensus est Spiritus sæpe assumere corpus animalis præexistentis, quin etiam cadauer hominis defuncti. Quod cum fit, monent authores, non permitti dæmoni, circa corpora eorum, qui iusti & in diuina amicitia ex hac vita decesserunt. Est enim hoc diuinæ amicitia non consentaneum. Maiorem habet potestatem in corpora eorum, quorum & animas habet subiectas. Potest igitur ea mouere, portare, & in ijs se præbere tangendum, palpandum, videndum. Quod fecit in illo, quem curiosum & magica imperitè tractantem in museo Cornelij Agrippæ occisum, postea à Cornelio domum redeunte, ac adiurante coactus est, tanquam viuum in forum producere, vt in rixa percussus, videretur inibi etiam interemtus. Frequentiùs tamen spiritus assumit corpus, quod ipse ex spissato aëre, aut alio elemento, concurrente aliqua mixtione subtilium corporum, per artem Angelicam applicatorum, & se inuicem transmutantium, vt ex eis vna substantia resuletur apta ad talis corporis representationem. Aiunt Angelos san-

M m m m z etos

X.

Aug. lib. 3. de
Trinit. c. 10.

S. Bonavent.
in 2. p. dist.
art. 2. q. 2. &
alij cum S.
Thom.

Et os sumere hanc materiam ex purioribus corporibus, quæ in superiore parte aëris inueniuntur; à dæmonibus autem ex locis terrestribus humidioribus, & fortasse immundis ac cœnosis, eò quòd, in poenam suæ malitiæ, aliud eis non permittatur.

XI.

Animaduertite igitur, mortales, qualem aduersarium; attendite, peccatores, qualem dominum; videte magæ & sagæ, qualem sponsum habeatis; ex qua materia corpus gerat compactum, aut qualia de patibulis, vel rotis, vel bustis cadauera mutuet, vt se vestiatur, & vobis ornet. Animaduertite, qua forma se vobis sistat; quàm ater, quàm teter, quàm squallidus, quàm monstrosus appareat? Putatis, hoc superbum illum spiritum libenter facere; qui vtique mallet in specie pulchra, regia, cælesti videri, vt admirationi esset eius pulchritudo, & ad decipiendum aptior frons blandjens; sed cogitur diuina voluntate, vt in fordida & humano generi inuisa forma, veleriam metuendo vultu plerumquæ se præbeat intuemum. Sic timor illius premitur; sic fastus humiliatur; sic innotescit quantum à sua origine degenerarit; quantumquæ peccato sit deformatus; sic homines docentur, quantis monstris seruiant, si se sinunt seduci; sic peccatores monentur, qualium prodigiorum, in inferno sint habituri societatem. Apud Athenienses, si semimares, aut insoliti animalium partus, & alia monstra informia edita essent, foetus exportari, & in mare, vel flumen deijci iuebatur. Quid aliud vult Deus, cum talia dæmonum monstra finit videri, quàm vt ea detestemur, amoliamur, & in mare Creticum, procul à nobis, immò in barathrum illis debitum ablegemus? Pudor est, amentia est, insania est, nos illum qui pro nobis passus est tam dira, qui pro nobis sanguinem & vitam fudit, qui *speciosus est præ filiis hominum*, spernere, ipsumquæ Saluatorem nostrum, amabilissimumquæ IESVM nostrum fugere, repudiare, auersari; & audire, sequi, ah sapenumero etiam colere ac venerari, tam vile, tam turpe, tam execrandum monstrum, perditorem nostrum, & animæ nostræ latronem, draconem sæuissimum, qui aliquando non solum nobis insultans hoc ipsum exprobrabit; sed etiam aduersus Redemptorem nostrum de tam insipiente perfidia nostra gloriabitur. *Quam-*
rem

Alex. ab Alexand. lib. 5.
Genalium
dierum c. 27.

rem etiam atque etiam considerans D. Basilii, in huc modum proponit. *Terribilis me quidem cum mentis consternatione horror inuadit metuentem videlicet, ne si aliud agendo in rebus futilibus ac vanis animum occupauero, à Dei charitate deiectus Christo dedecori sum. Qui enim assidue nunc suis nos artificijs circumuenire, & mundialis istius vitæ illecebris inescans omni conatu efficere studet, ut datorum nobis à Deo beneficiorum, Deiq; ipsius memoriam ex animis nostris reuellat, is, ubi hinc migrauerimus, cum animarum nostrarum exitio nobis insultans, vehementissimeq; insectans, contumtionem Domino nostram contumeliose exprobrabit, contumaciaq; ac defectione ab ipso nostra, gloriandi materia aduersus illum utetur, quod videlicet, cum nos ipse neque crearit, neque pro nobis mortem subierit, sibi tamen spretus contemtiq; Dei præceptis obsequentes habuerit. Equidem istam ego futuram aduersus Dominum contumeliosam opprobriationem, ac dedecus, & insolentem hostis gloriationem, grauiora longè esse statuo, quàm ea, qua sunt in gehenna supplicia, materiam videlicet nos aduersario Christi, gloriosius se se aduersus illum efferendi extitisse, qui conciliande nobis causa salutis & mortuus sit, & resurrexerit: cui etiam vel hac gratia maiorem in modum debitores sumus, sicut scriptum est.*

Superest ergo, ut hæc monstra horreamus, fugiamus, detestemur. Quod sancti sanè tantò ardentius faciunt, quantò censent clariùs, sibi bonum esse adhærere Deo. Nam & Sanctis apparet, ut in Iob, in D. Ioanne, in Antonio, in Dunstano, in Brunone Episcopo Herbipolensi, in ipso Christo est demonstratum. Cum his velut miles congressus est, ut ex certamine victores prodirent, tantoq; fierent illustriores, postquam vicissent. Alijs apparet Dei beneficio, ut territi desinant peccare & respiscant. Alios omnino deuorat, quibus non in illorum, sed, ut D. Gregorius ait, *ad solam utilitatem audientium* eiusmodi historias, adest morituris. Ita à quinquenni puero, ita Chrytorio, ita Monacho hypocritæ visus est. De Chrytorio hæc habet. *Pauore tetra eorum spirituum imaginis huc illucq; vertebatur in lectulo, iacebat in sinistro latere, aspectum eorum ferre non poterat; vertebatur ad parietem, ibiq; aderant. Cumq; constrictus nimis relaxari se iam posse desperaret, cepit magnis vo-*

Al m m m m 3 *cibus*

S. Basil. in Reg. fuf. disp. 2. iur.

XII.

S. Greg lib. 4. dial. cap. 38.

cibus clamare: Inducias vel usq; manè, Inducias vel usq; manè. Sed eum hæc clamaret, in ipsis vocibus de habitaculo sua carnis euisus est. De quo nimirum constat: quia pro nobis ista, non pro se videtur, ut eius visio nobis proficiat, quos adhuc diuina patientia longanimitè expectat. Nam illi tetros spiritus ante mortem vidisse, & inducias petisse, quid profuit, qui easdem inducias quas petijt, non accipit? Quanquam igitur talia monstra videntibus nullum fructum afferant, afferunt tamen audientibus, & legentibus, in quem solum finem à Deo non minùs benignè, quàm iuste contingere permitterentur; & tamen non in hunc solum finem permittuntur; quia sæpe talia aspicientes agnoscunt, quid meruerint, & auxilia petunt, quæ priùs respuerunt. In quam rem sit vel vnicum hoc exemplum, quod Alexander ab Alexandro recenset. Ita enim loquitur.

XIII.
Alexand. ab
Alexandro
lib. 4. Geni-
al. diæ, c. 19.

Non est profectò fabulosum, quod apud sanctos viros auctores memorant, ut cum tetræ spiritibus, quos demones vocant, congressum habuerint, illosq; diuersis imaginibus, ac specie multiplici prope deluserint: Siquidem nostra memoria id euenisse comperit est. Nuper amicus meus summus ingenio, & fide singulari, rem dicta admirabilem, hæc prodentibus nobis, sibi euenisse narravit: quod eum credi vix posset, multorum testimonio comprobauit: se, cum apud coniunctissimum & sibi familiarem Neapoli diuerteret, & noctis silentio clamantis de via, & vocem hominis auxilium implorantis audiuisset, cum accenso lumine accurrisset, ut quid rei esset inquireret, ibi Demonem, & dirum quoddam numen tetra & horribili specie conspexisse, qui iuuenem quemdam clamantem & reluctantem, in via infestis manibus inuadere quarebat, quo conspecto, cum miser ille ad ipsum, quem propè videbat accurrisset, & ne apprehenderetur, quanto poterat nititur ipsius vestem & manum apprehendisset, se, diuino sapiens advocato nomine, cum multum diuq; frustra fuisset reluctatus, vix tandem Dæmonem abegisse. Quo demum abacto, eum iuuenem animo consternatum in domum recepisset, nunquam quòd se dimitteret, aut palliam relaxaret, quinisse efficere, tantæque eum torpedo inuasit, ut mente enicta sui campos non esset, eum sibi prorsus representari, & ante oculos obuensari illa species videretur. Tandem ad se redditum, rem quo pacto se habuerit enarrauit.

Consulat

Constabat enim pravis eum moribus, & incivilibus, cum DEI contemptu diu vixisse, in parentesq; tunc iurgatum contumelias & intoleranda probra dixisse, deuotionibus execrationibusq; diris ab eis agitatatum abiisse. Hæc Alexander. Et adhuc miramur talia patientes? miremur potiùs talia facientes. Æquum est, vt turpes laruæ inuadant turpia facientes. Habet magistratus lictores, quos mittit ad rebelles. Dei lictores sunt demones, ex merito igitur illis plectit impios, ac præsertim parentum contemtores. Felix, qui, ne plectatur, territus exclamat auxiliumque vocat. Solent & parentes, vt terreant liberos suos, illis nescio quas umbras, & hisfuta monstra, extra hypocauftum vagantia, minitari. Memini & ego non ita pridem insignem ingenio & nobilitate adolescentem eiusmodi intemperijs agitatatum, non ausum dormire solum, non egredi sine comite extra limen hypocaufti, nocturno tempore, denique metuentem vehementer, ne à cacodæmone abriperetur; causâ ipse probè nouerat. Quàm ille tum ad me cupidè cucurrit? quàm opem meam sollicitè implorauit? ac propè hanc ipsam mihi tunicam à corpore abstulit, cupiens, vt ad Exercitia spirituaalia eum promouerem. Sed non erat tum tempus eum admitteudi: satis illum diabolus exercebat, cuius terriculamenta illi vtile erat experiri, donec disceret causam potiùs molestiarum, quàm molestias ipsas exhorrere. Sic & Apostolus olim fecit, ita scribens ad Corinthios: *Ego quidem absens corpore, præsens autem spiritu, iam iudicavi vt præsens, eum qui sic operatus est, in nomine Domini nostri IESV Christi, congregatis vobis, & meo spiritu, cum virtute Domini nostri IESV tradere huiusmodi satana in interitum carnis, vt spiritus saluus fiat, in die Domini nostri IESV Christi.*

1. Cor. 5. 33

CAPVT LIX.

Cur, & quàm monstrosos diaboli faciant eos, quos insident?

Venio ad alterum modum, aut speciem monstrorum diabolicorum. Neque enim ipsi duntaxat horrificè monstrosos se se mortalibus aspiciendos exhibent, sed

I.